

Ecclesiam, qua Christi corpus est, fidei sua transfundit unguentum, olere incipit tota domus Domini passionem, olere incipit mortem Crucis; spirat odor, redolet unguentum in corpore, ut unusquisque dicere possit: Mihi ab sit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu.

Cant. 5. 13.

LXX.

1971 Expende hic Sponsæ verba Cant. 5. 13. Maxilla illius sicut areola aromatum confita à pigmentariis. Labia illius lilia distillantia myrrham primam. LXX. legunt apud S. Nyss. Ho. 14. in Cant. Maxilla ipsius tanquam aromatis phiala, quæ proferunt unguenta. Pro myrrham primam, vertunt myrrham plenam, seu uberem. Munsterus legit: Labia ejus rose, stillantia myrrham fluentem, cujus odor (ut ipse explicat) circumquaque transit, & diffunditur. Vetus translatio Hispanica: Que go tea asta el suelo myrra, que pasa. De myrrha est sermo maximè fragrante, cujus odor in omnem partem celeriter & vehementer diffundatur. Certè tum per genas, tum per labia sponfi Jesu, designari divini verbi prædicatores, multi sentiunt cum S. Nysseno. Sic ego distinguerem: ut genæ (quæ pars est exterioris hominis princeps, & interioris index) ad bonæ vitæ exemplum spectet; labia verò ad Evangelicam doctrinam. Ab utroque debet suavissima Christi crucifixi fragrantia dimanare, ita ubertim, ut omnes perfundat. Homo exterior ad instar phialæ sit, seu poculi patuli, absque ulla fraudulenta concavitate patefcentis, ut explicat Nyss. qui pro se at u guenta suaveolentia, unguentum illud nimirum effundat, quod semel in Cruce fuit effusum, & quo interior ipse homo sit imbutus. Sic vias electionis erit portans nomen Domini tanquam unguentum effusum. Labia, id est, prædicationis doctrina, purpurea lilia, seu sanguineæ rosæ sint, tincta sanguine Dominicæ passionis. Ex illis etiam myrrha perfillet, perfuat prima, plena, uberrima; amarissima nempe Christi passio, cujus odor, id est, notitia & fama circumquaque transeat, & diffundatur.

Per genas & labia Ecclesia designati ministri Evangelici suavolentia.

SECTIO XLIX.

A septem Ecclesie Sacramentis, Eucharistico præsertim, odorem Christus suavissimum spirat.

Septem aromatum species.

1972 Septem dumtaxat sunt aromata à Siracide in exemplum adducta, ut commendat gratissimam fragrantiam, quam ex se Incarnata Sapientia undequaque spirat, & quoquo versus diffundit; nempe balsamum, myrrha, storax, galbanum, ungula, thus, cinnamomum. Nam gutta ad myrrham spectat, ut multi existimant: & per balsamum non mixtum, cujus ultimo loco meminit, explicat solum, ac determinat cujus qualitatibus sit primum illud balsamum. Certè tam accuratus aromatum numerus septenarius, non otiosè, nec sine mysterio assignari putandus est. Nempe, ut ego reor, cum intuitu hoc factum ad septem Ecclesie Sacramenta, in quibus Christus Dominus odoratissimum se prodit instar cinnamomi, balsami, myrrhæ, storacis, galbani, unguulæ, & thuris.

1973 Hoc dixissem suaderi posse ex Pf. 44. qui, uti observavi, celebre est de Christo & Ecclesia vaticinium. Post factam de Christi nativitate, conversatione, & passione mentionem, subtextit Psalmista v. 9. Myrrha, & gutta,

Pf. 44. 9.

& casta à vestimentis tuis, à domibus eburneis. Vocat domos eburneas loculos, thecas, ar-sacrioria, cas, repositoria: vasa quidem unguentaria, unguentarias pyxides, ut multi apud Lorinum nostrum explicant: vox enim Hebræa Beth, id significat. Unde Bathe, id est, olfactoriola ex translatione Vulgata Isai. 3. 20. & ex aliorum versione domus anime: per quas noster Sanch. intelligit vasa, in quibus fæminæ domi servabant unguenta. Cornelius putat esse myrrhæ thecas sive pyxides perforatas, & ocellatas, quæ odores suos, & suaves halitus per foramina sua expirant. Igitur à vestimentis Christi (id est ab humana ipsius carne, ut universi ferè docent Interpretes) suavissima emanare fragrantia dicitur, qualem myrrha, gutta, & casta, aliæque pretiosa aromata emittere solent. Sed non aliunde hanc spirat fragrantiam Christus Dominus, nisi à domibus eburneis, à thecis, ab arceis, à repositoriis, ab olfactoriis, à septem videlicet Ecclesie Sacramentis, quasi à vasculis unguentariis, in quibus odoratissimum meritum Christi unguentum in Cruce semel effusum aservatur; ut sæpe sæpius effundatur in salutem animarum, ejusque jucundissimo odore tota perfundatur Ecclesia.

1974 Cant. 1. penserant Ecclesia, Christi Sponsa, unguenti suaveolentiam in Cruce effusi; enixè postulat trahi in odorem unguentorum, ut Crucifixi delitui, ac divitiis frueretur. Quid tandem consecuta? Ipsa restatur v. 3. Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & letabimur in te memores uberum tuorum super vinum. Ubi cellaria sunt repositoria odoramentorum, adyta, seu penetralia, in quibus vasa pretiosa cum unguentis ex aromatis aservantur: qualia sunt illa, de quibus Isai. 39. 2. Ostendit eis cellam aromatatum, & odoramentorum, & unguenti optimi. Et Bern. ser. 23. in Cant. Introduxit me Rex in cellaria sua. Ecce unde odor, ecce quò currit. Ergo ad cellaria curritur, & curritur in odorem, qui ex ipsis procedit. Verum de cellariis his quid sentiendum putamus? Cogitemus ea interim loca quædam redolentia penes sponsum, plena odoramentis, referat delitui. Certè aptissime per cellaria hæc odoramentis, aromatibus, & unguentis plena, quæ Sponfi Jesu suaveolentia spirant, septem capias Ecclesie Sacramenta, in quibus unguentorum & copia insignis, & eximia profusio Regis liberalissimi, qui sanguinem unam cum vita in Cruce effudit, & in Sacramentis suam suæque necis exerit vim, morbos animi peculiari modo, nempe ex opere operato, sanans; oleum gratiæ infundens, & odore vitæ æternæ perfundens dignè accedentes. Propterea subdit: Exultabimus, & letabimur memores uberum tuorum. Pro memores Hebr. est vox à verbo, quod odorari significat Pf. 19. 4. Memor sit omnis sacrificii tui. Ubi R. David, Vatab. & alii vertunt, odoret, vel olfaciat sacrificium tuum. Unde veritas sponse verba: odorantes ubera tua, fragrantia (ut antea dixerat) unguentis optimis. Vel etiam; odorantes amores tuos; illum scilicet amorem nimum, quem in Cruce ostendisti, ostendisque usque ad consummationem mundi in his cellariis sacramentorum tuorum aromatiferis, in quæ nos introduxisti. Ecce quo jure autememus, per septem illas aromaticas species à Siracide memoratas designari totidem Ecclesie Sacramenta.

1975 Si verò singulas singulis Sacramentis adaptare velis, sat erit hinc indicare. Primò,

onyx

Oxyx ad Baptismi Sacramentum.

onyx ad Baptismi Sacramentum referri potest; cum sit conchafisciculi odorifera. onyx autem constat ex mari, ut observat Sinaita l. 6. Hexam. & optimus esse dicitur, qui ex mari rubro portatur. A veteribus Christus onyx appellabatur, id est, piscis, ut ex aliis probat noster Maldonatus ad c. 4. Matt. v. 19. In aquis Baptismatis Dominico sanguine rubentibus Christus adfat pisciculus odoratissimus miram fragrantiam spirans, qua peccati factor dissipatur, dum anima cruore divinisimo in cruce effuso, & ibi operante abluatur. Propterea appellatur à Paulo dies Baptismi, dies redemptionis, ad Eph. 4. interprete Caietano.

Balsamum Confirmationis.

1976 Secundò, Balsamum, illudque non mixtum, id est, non adulteratum, ad Sacramentum Confirmationis spectare poterit; cum sit necessaria hujus Sacramenti materia, ita ut sine aliqua balsami parte existere non intelligatur legitima: ut rectè probant nostri Suar. to. 3. in p. disp. 33. sec. 1. & Coning de Confirm. ad q. 72. art. 2. & 3. Dub. 1. n. 31. Neque adulteratur balsamum ex eo quòd oleo admisceatur, sed potius opportunè redditur, ut eo delibuit fideles, quasi fortissimi Athletæ, bono sint animo adversus interna certamina tentationum, & contra externam vim persecutorum Ecclesie, & hominum ex se famæ odorem spirent. Quod quidem non à balsamo, sed à Christo in eo Sacramento ad instar balsami aromatizantis, habent.

Myrrha Penitentia.

1977 Tertiò myrrha per commodè ad Sacramentum Penitentia pertinet, ut à Patribus sæpè explicatur. Myrrha enim spissius aspera, amarissima, sed medicinalis: Penitentia similiter aspera, & amara debet esse ad curandos animæ morbos. Vide Jere. 31. 21. Pone tibi amaritudines. De myrrha illa sermo est apud Siracidem, quæ liberè fluit ab arbore tanquam lacryma: de qua illud extat ænigma: De lacrymis & pro lacrymis mea cepit origo: ex oculis fluxit, sed nunc ex arbore nascor: laus honor frondis, tristis sed imago doloris. Quod bellè cadit in lacrymas quas peccator ex intimo corde non coactè, sed sponte effundit. Quid mirum si amaritudinis Christi pro delictis nostris crucifixi, suum afflant odorem, ad instar myrrhæ, in Penitentia Sacramentol

Galbanus Eucharistia.

1978 Quartò, galbanum ad Eucharistia Sacramentum spectare querit: cum sit ferulæ odorata succus instar abili lactis, suo odore serpentes fugans. Eucharistia verò quasi lacteus est succus seu fructus odoratissimæ ferulæ, sive baculi, Crucis nempe. Fortè ea de causa appellatur virga, fulcrum, scipio. & baculum panis Isai. 3. 1. Auferet à Jerusalem, & à Juda omne robur panis. Hebr. virgam vel baculum panis, id est, Eucharistia, ut explicant signatim S. Cyr. & S. Basil. ibi & S. Thom. Opusc. 58. c. 2. Succus item lacteus vocatur passim à Patribus, Doctore Pet. 1. Epist. c. 2. 2. Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, &c. De utroque Sponsa Cant. 7. 8. Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus; & erunt ubera tua licu bovi vineæ. Per palmam crucem intelligit Honor. per fructus ejus, corpus Christi dignè susceptum: quod perinde est suscipiendibus, ac succum lacteus attractus ex uberibus. Succus quidem est odoratissimus, cum ex uberibus profluat fragrantia unguentis optimis.

1. Petri. 2.

Cant. 7. 8.

Isai. 3. 1.

1. Petri. 2.

Cant. 7. 8.

Isai. 3. 1.

1. Petri. 2.

Cant. 7. 8.

Isai. 3. 1.

1. Petri. 2.

Can. 1. 1. ut exponunt Theod. Ambr. Apon. & alii. Succus est, cujus admirabili fragran-

tiâ serpentes fugantur: cum sit mentia ordinata adversus omnes, qui tribulant nos. Pf. 22. 6. Pf. 22. 6.

1979 Quintò, storax, sive styraç ad extremæ unctionis Sacramentum reduci poterit. Ex styrace enim suavissimum fit unguentum styracinum, quod capillos bono odore & flavo colore imbut, quod fragrantia sua serpentes fugat; quod corpori medetur, artus vegetat, lassus solatio est, frontem exhilarat. Præstat hæc omnia excellentiori modo extrema Unctio, cui superna inest virtus, ut per gratiam habitalem, quatenus habet adjunctas actuales huic affectui proprias, animum infirmi vi morbi infirma um ac torpore quodam depressum roborer, exhilaret, & excitet ad spem, & fervorem spiritualem, & eum præparet ad fortiter subeundos Diaboli insulatus, qui nos tunc maximè impugnat, cum graviter ægotamus. Corpori etiam medetur non absolute & sempe, sed interdum & sub conditione, si animæ expediat. Serpens ille antiquus (de quo scriptum est Gen. 3. Tu insidiaberis calcaneo ejus, id est, ultimo vitæ extremo) hujus Sacramenti odore, quem Christus in illo spirat, longè fugatur.

1980 Sextò, libanus non incisus, sive thus indivisum, integrum, Ord. Sacramento convenientè adaptatur: thus dicitur à thus, id est, sacrificio: vel à thus, id est, sacrificans odorem facio: quia sacrificantes thus utebantur. Ad essentiam Ord. Sacramentalis spectant imprimis, ut materia, traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane; & tanquam forma, hæc verba: Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, &c. Quò respiciunt Phialæ illæ aureæ, ingentes patenæ, seu calices, plena odoramentorum, quas viginti quatuor seniores, id est, novæ legis sacerdotes, manibus gestant Apoc. 4. & 5. de quibus infra commodius dicam, cum seorsim de Eucharistia Sacramento. Deinde sicut thuri conceditur virtus ad curandam lippitudinem, fluxum sanguinis, tenaculum, tussim, impetignes, inflammationes, dy-senteria, hemorrahiam, ulcera, & alia corporis mala; sic Sacerdotibus per hoc Sacramentum potestas conceditur remittendi peccata omnia, quæ sunt animæ agridines. Nam ad essentiam Ord. pertinent etiam impositio manuum Episcopi, ut materia, & ut forma, illa verba: Accipe Spiritum S. quorum remisit peccata, &c. Certè in hoc Sacram. (sicut in reliquis) Christus principaliter agit, & jucundissimum odorem spirat, instar thuris.

1981 Septimò, ad Matrimonii Sacramentum pertinet cinnamomum, Hebr. cinamon, id est, amor cum zelo, ardor cum emulacione: est enim calidissimum: atque adeò peropportunum ad designandum amorem conjugalem, quem Sacramentum ipsum operatur inter conjuges. Nam, ut Paulus ait 1. ad Tim. 2. loquens de conjugata: Salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione: scilicet erga maritum. Non dicit, si hæc acquisierit, sed si in illis permanserit, supponens, aperte hanc fidem & dilectionem per matrimonii Sacramentum conferri. Et ad Ephes. 5. 33. Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat. Vide expositores ad illa Gen. verba c. 2. v. 24. Erunt duo in carne una, & ad Eph. 5. 25. Ipsi quoque dicebat c. 62. 2. Gaudebit sponsus super sponsum, & gaudebit super te Deus. Ubi pro gaudebit est Hebr. baphal, quod est ardenter amare. Et quidem cum zelo non malo, sed bo no

Storax extrema unctio.

Thus indivisum.

Cinnamomo.

1. Timo. 2.

Eph. 5. 33.

Gen. 2. 24.

Isai. 62. 2.

Iph. 5. 33.

Gen. 2. 24.

Isai. 62. 2.

bono: nam qualis est amor, talis est zelus ejus: si charitas est, zelus & quantum charitas est, tantum zelus: Quia fortis est ut mors dilectio; dura sicut infernus emulatio. LXX. Zelus. Can. 8. 6.

1982 Ex cinnamomi bonitate est, ut suavissimo ardens odore cum cæteris aromatibus veluti de fragrantia contendit. Naturam conjugalis amoris exprimit, qui æmuli impatiens & re ipsa, & opinione rivales omnes devincere certat. Rursus, de cinnamomo Plin. ait l. 12. c. 19. Vilissimum, quod radicibus proximam, quoniam ibi minimum corticis, in quo summa gratia: qua de causa præferuntur cacumina. Conjugalis amoris hæc dos fit, ut totus sursum in Deum feratur, ut à terrenis radicibus quam longissime absit; ut instar igneæ pyramidis totum se in summa attollat cacumina; is demum pretiosissimus futurus, cælo nempe vicinus. Addit Plin. cum viret, non odoratus. Gignitur densissimis in vepribus rubisque. Damnatur in primis molle. Certè conjugum amor non tibi mollis, non blandus, non delicatus, non facile friabilis, non viridis, non amoenioris, ac viridioris amator vitæ, sed rigidioris, ac severioris cultor, ut qui inter poenitentia, ac mortificationis vepres feliciter adolescat. Si igitur ejusmodi sit conjugii amor, Christi Ecclesiæ sponsi divinis suaveolentia, ad instar cinnamomi aromatizantis, sentiatur jucundissima.

De Euchar. omnium odoratissimo Sacram.

1983 Eucharistia, utpote Sacramentorum omnium maximum, fragrantia sua omnes devincit cæterorum odores: atque ad eod omnium extat odoratissimum; eosque continet & spirat excellentiori modo, cum verè in se contineat Christum Dominum, qui est auctor Sacramentorum, in quibus ipse principaliter agit. Guilielm. Paris. Episc. in sua Rhetorica refert, egregie sanctitatis virum, cujus nomen supprimit, certo odoratu vel loca ipsa dignoscere solitum, ubi Christus in Eucharistia præsens adesset. Nec mirum, si jam ipse in cælo gloriosus odores spiret suavissimos; cum adhuc mortalis inter homines degens fragrantiam spiraverit ex pulcherrima sua carne jucundissimam, non mysticam tantum, sed physicam, & veram. Ut enim Euseb. Emiffen. in ser. de Nativ. Domini, tam eximiam odoris fragrantiam ab ipso nascentis infantis corpusculo effluxisse scribit, ut Bethleemiticum etiam suffumigaverit stabulum, retrumque fimetum odorem cælesti suavitate depulerit. Fætor ibi esse non potest, ubi est flos campi, & lilium convallium, cujus odore suavissimo nimium delectata Ecclesia dicit: Trabe me: curremus in odorem unguentorum tuorum. Non ille tetrior stabuli odor, nisi suavi veroque devictus odore est, quem Christo attribuit Eusebius. Consentit Euthym. celebris Scripturæ Interpres in Pl. 44. 9. Per castam suavissimum Dominici corporis odorem significat, quod natura ipsa optimi erat odoris, eo quod sine peccato semper fuit. Sed de odore mystico hic agamus, quem spirat Christus in Eucharist.

1984 Illum quidem à longè præsentit Isaac Gen. 27. 27. dum sensit fragrantiam odoris vestimentorum filii sui Jacob. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Chald. effert: sicut odor incensi ex optimis aromatibus. Fortè sic extulit, quia vestimenta illa erant suffumigata de aromatum lignis & confectionibus curataque pretiosis unguentis.

Natura conjugalis amoris.

Plin.

Eximius odor ab ipso Jesu corpore.

Euseb. Emiff.

Euthymi.

Gen. 27. 27. Fragrantia quam præsentit Isaac, ad Christum spectat, & Eucharistiam.

Noster Perer. ad ea verba disp. 6. n. 67. perbellè cum odore florum, quos terra parturit, aut etiam cum ipsius terræ fragrantia contulisse arbitrat, quod terræ halitus nihil superare valeat. Allegat Plin. l. 17. c. 5. sic loquentem: Illa erit optima terra, quæ unguenta sapienter. Quod si admonendi sumus, qualis sit terræ odor ille, qui quaeritur, contingit sæpè etiam quiescenti ea sub occasum solis, in quo loco arcus caelestis dejecerit capita sua; & cum à siccitate continua immaduit imbre: tunc emittit illum suum halitum divinum ex sole conceptum, cui comparari suavitatis nulla possit. Certè Isaac similem huic fragrantiam sensit in Jacobi vestibus, sed aliam longè majorem præsentit, præsentia tangens (ut August. loquitur) & futura prospiciens. Præsentit suavissimum odorem à Christo sub Eucharisticis speciebus longè lateque effluentem, cui comparari suavitatis nulla possit; terra enim est Eucharistiæ Sacramentum, terra promissionis; terraque viventium (sic illud appellant S. Gaud. Tr. 18. & S. Petr. Dam. ep. ad Blancā c. 3.) quæ sanguineo ex corpore Christi immadet imbre, & in qua arcus caelestis, divina nempe clementia, dejecit capita sua. Vestis necnon est aurea Christianorum (ut loquitur S. Chryl. Hom. 24. in 1. Cor.) largiter imbuta & suffumigata divinitatis unguento, & gratiarum omnium odoratissimis confectionibus. Audiendus Pasch. l. de corpore, & sanguine Domini c. 21. loquens de Eucharistiæ mysterio, & illustrans præjecta Isaaci verba. Habes quam à longè tantus Patriarcha sensit in filio fragrantiam hujus mysterii: ait enim: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Quia profecto in isto agro corporis Christi thesaurus absconditus vernat floribus immarcescibilibus, & redolet suavitate odoris. Satis ad rem dilucidè.

1985 Consonat Isaaco David Pl. 44. 9. dum illa profert verba iterum traditè mandanda: Myrrha, & gutta, & casta à vestimentis tuis, à domibus eburneis. Dixi, hæc Christi vestimenta esse, ex communi sanctorum interpretatione, humanam ipsius Christi naturam largiter imbutam divinitatis, & gratiarum unguento illis commixto aromatibus. Nec infueta sacris litteris hæc translatio; nam Isaia 63. 1. Quis est iste, qui venit de Edom, tinclis vestibus do Bofra? Iste formosus in stola sua. Quo nomine sacrum Christi corpus sanguine rubricatum intelligunt multi ex Patribus. Hoc igitur corpus odoratissimum esse Plalmodus canit. Sed expende, unde suam emittat fragrantiam. A domibus eburneis. Felix vertit, ex templis eboris; alii, à Tabernaculis; alii in repositoriis. Tempa sacra demonstrantur, tabernacula, sacra, & repositoria pretiosissima, in quibus Eucharistiæ sacramentum colitur, & asservatur. Alii legunt, à turris domibus, forsan respectu ad turres aureas, in quibus olim divinum servabatur Sacramentum: quarum meminit Venantius Fortunatus l. 3. c. 23. & Greg. Turon. l. 1. de gloria Martyrum c. 86. Acceptaque turre Diaconus, in qua mysterium Domini corporis habebatur. Flodoardus l. 2. c. 6. Bulengerus l. 2. de Denariis Pontificum c. 3. Cerda in Adversariis sacris c. 76. n. 10. Potest etiam ex Græco verti, à feretris: nam vox βαρη cymbam significat, quia cadavera vectabantur, Latine feretrum. Et Eucharistiæ Sacramentum, ubi Agnus tanquam occisus, mactatus, sacrificatus extat, quasi feretrum est, mortem Christi præ se ferens. Ideo ab Isaia, juxta gra-

Plin: Terra odoratissima.

Eucharistia terra promissionis.

Aurea vestis Ecclesiæ odoratissima.

Paschasiusi

Pl. 44. 9.

Isai. 63. 1.

Turris domibus Eucharistia. Greg. Turonensis.

Eucharistia sepulchrum Christi odoratissimum.

gravissimum Interpretum mentem, appellatur Eucharistia sepulchrum Christi gloriosum: vel, ut Chaldaeus vertit, locus mansionis ejus in gloria. Et illam sepulchrum Christi gloriosum vocat S. Germanus de rebus Ecclesiasticis. Ecce tibi unde Christus jucundissimos emittit odores: myrrha & gutta & casta perfuunt à vestimentis, ab ipsius carne sanctissima in Eucharistiæ Sacramento reposita, ad suave spirandum, ut omnium animos sibi devincat: ex quibus (id est propter quæ, ut supra exposui) delectaverunt te filia Regum, &c.

1986 Appellavit Zach. c. 9. aliam Eucharistiam Vinum germinans Virgines. LXX. vertunt ευωδιαζων, id est, odoratum, seu boni odoris: bonum odorem exhalans. Certè, ut reor, cum intuitu ad vinum generosum, ab antiquis myrrha, & vario aromate fragrantissimo conditum, quod illis erat in deliciis: ac propterea dari solum capite damnatis ad doloris magnitudinem mitemdam. Cujus meminit Salomon Prov. 31. Date siceram marenibus (Hebraicè morientibus) & vinum his, qui amaro sunt animo; bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius. Qua de re, lege Serlogum nostrum in c. 1. Cant. v. 1. in explanatione Histor. sec. 8. n. 22. ubi plures alios citat; & probat latrones in Cruce de hoc vino condito & suaveolenti potatos, Christo autem amaritudinis calicem porrectum, vinum cum felle mixtum, nimiam in Redemptorem invidentiã: qui nimiam in nos charitate inflammatus, pridè quam hæc pateretur, vinum Eucharisticum dederat odoratissimum, Vinum boni odoris ad Virgines. Quod S. Athan. Ser. de Passio. & Cruce Domini sapienter observavit: Amaritudinem ire ex prævaricatione legis obortam Domino porrexit: quam ille accipiens absumpsit, & evacuavit; ut pro aceto vinum, quod miscuit Sapia, nobis potandum daret. Et Julius African. l. 2. Contrapositionum in interrogatione 13. premens illud Pl. 68. 27. Dederunt in escam meam fel, &c. ita arguit: Potus erat, sed in escam dederunt, quam Dominus jam acceperat, cum Pascha suum cum Discipulis manducavit, ubi sacramentum corporis sui demonstravit. In hac escam Christi suavem quis est qui det fel nisi contradiutores Evangelii, tanquam illi persecutores Christi? Nonuerunt Judæi Christo patienti aromaticum vinum generosum porrigere, ne quasi par pari reddere viderentur, vinum aromatibus conditum pro vino Eucharistiæ odoratissimo: fellis & aceti poculum dedere adversus calicem Eucharisticum, quem perdere nitebantur, ejusque suaveolentiam, & delicias. Quomodo etiam apud Jerem. c. 12. v. 19. clamabant contra Eucharistiæ panem: Mutamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium. Ex Hebræo veritas: Toxicum, & ligno venenato inficiamus ejus panem. Tertul. 3. contra Marc. c. 19. & Lactant. l. 4. Instit. c. 18. sic explicant: Mutamus panem, hoc est, corpus Christi, quod nobis est panis in Eucharistia, in lignum Crucis. Vel mutamus lignum in panem, id est, Crucem in carnem Christi Eucharisticam, ut sic cibum inficiamus, & excidamus. Cæterum, Christi caro Crucis suffixa, suavior nobis ipso Crucis supplicio cibis extat, ut Orig. inquit Hom. in illa Jeremiæ verba: Ego admirabile quiddam inferam; Lignum missum in panem, ejus panem fecit meliorem. Et poculum ipsum Domini sanguinis pharmacum salutaris est, vinum gene-

Eucharistia vinum boni odoris vario aromate conditum.

Prov. 31.

S. Athan.

Julius Africa.

Jerem. 12. 19.

Origen.

rosius boni odoris, longeque fragrantius ac deliciosius post fellis & aceti calicem Christo propinatum. Conditum hoc Eucharistiæ vinum nobis omnibus damnatis ad mortem liberalissime donatur, ad animi dejectionem, & subortam ex mœrore imbecillitatem repellendam, & cor erigendum; uti præcinebat David Pl. 103. 15. loquens de Eucharistico populo. Et vinum letificet cor hominis. Ubi pro hominis est Hebraicè Enos, ab anus, ut enos sit miser, ærumnis obrutus, morti addictus, desperatus, afflictus, mœstus. Huic promittitur, & datur vinum Domini sanguinis generosum, odoratissimum ad suppressos spiritus erigendos, ad refocillandum animum, ut bibat & obliviscatur egestatis suæ, & doloris sui non recordetur amplius.

1987 Huc revoco illud sponsæ votum Cant. 1. 1. Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Tuccius Tuccius in notis suis priora verba sic ex Hebræo transfert: Potet me, vel potum mihi dabit ex osculis oris sui. Et rectè explicat de Eucharistiæ poculo, quod Christus suis propinat, & ministrat. Et forsan hoc dictum cum intuitu aliquo ad adolescentes ornatissimos, qui dum pocula ministrabant, osculabantur convivas. De quo Plautus in Persa, & Horat. l. 2. satyra ultima. Et quidem S. Ambros. l. 5. de Sacr. c. 11. de almo Eucharistiæ mysterio explicat, quod appellat osculum oris Christi. Sunt qui transferant ex voce Syrachdæ, adoleat mihi osculum, & observent, olim oscula dantes adolere solitos incensa, & aromata alia. Potari igitur nimiope exoptat Ecclesia osculo oris Domini, id est, Eucharistico calice suaveolente. Quod statim demonstrat subjungens sui desiderii causam: Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Pro ubera est Hebræa vox dodecha, à radice, ut nonnulli putant, quæ significat vas, & canistrum. Unde reddunt: quia meliora sunt vasa tua, aut pocula tua, vino quodvis aromatibus condito, cum in se contineant, & ex se spirent omnem suaveolentiam: fragrantia unguentis optimis. Alii ex Hebræo legunt: impleta lacte optimo. Ad hæc S. Chrysof. Homil. 60. ad Popul. Antioch. Eucharistiam vocat uber spirituales poculi. Et per hæc Christi ubera odoratissima designari putat Theodoretus Altaris Sacramentum. Per ubera illa admira-

אנוס

Cant. 1. 1. Eucharistia osculum Christi odoratum.

ךךך

Et ubera fragrantissima.

Theodore.

Prov. 16.

Osc. 2. 14.

Oleum extantissimo doris eximit.

Y y sem,